



SECTIO QUARTA De Commercio Corporis, & Animæ.

§. LVI.

Quod detur commune quodpiam commercium animam inter, ac corpus, propria quemque convincit experientia.

§. LVII.

Et quidem commercium, quod anima habet cum corpore, sequentia dilucide commonstrant.

1mo. Eo tempore, quo organa sensoria, ut aures, oculi, nares, lingua, vel fibrillæ nerveæ a rebus externis commoventur, aut feriuntur, nascitur in anima ejusdem mutationis idea, ac repræsentatio. Sic quum tonitru in nubibus reboat, tum auribus concussis mox anima tonitru resonantis fragorem sibi repræsentat.

2do. Si corpus dolore, morbo, aut languore adfcitur, anima quoque dolet, ægrotat, & languescit: econtra quum corpus in dies crescit, ac vigescit, tum anima in cogitando, judicando, ac rationando plus roboris, & agilitatis acquirit.

§. LIIX.

Quod vero corpus cum anima vicissim commercium exerceat, ex ipsis corporis motibus luculenter patescit.

I.mo